



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 58. Clementis Maroti mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI. Georgius ibidem perstitit usque ad obitum suum, qui contigit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

A.C 1544.

§. LVIII.

Clementis Maroti mors.

San-Marth. l. 10. elog. Doct. Vir. Du Verdier Vauvovias Biblioth. Franc p. 718. Vie de Clem. Marot dans le recueil des Poetes Francois t. 1. Cecidit hoc anno præcipuum Calvinianæ hæresis fulcrum; obiit enim Clemens Marotus Taurini in Pedemontio non nisi quinquaginta circiter annos natus. Is e Carducorum Metropoli, quam Divonam appellant, oriundus filius erat Joannis Maroti Poetæ, qui Francisco I. a cubiculis fuit. Ad eandem muneris dignitatem etiam Clemens anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo a Margarita Francisci I. Regis Sorore atque Alenfonii Ducis uxore assumebatur, anno autem sequenti ipsum Ducem Alenfonium comitatus in Papiensi prælio vulneratus, captusque fuit. Eo demum tempore, quo Franciscus I. Galliarum Rex itidem captivus in Hispaniis detinebatur, Clemens a Bouchardo Doctore de Protestantium hæresi accusatus in carcerem abductus fuerat, inde vero, qua ratione libertatem suam prima hac vice recuperaverit, silent Historici, conjicimus tamen, quod is forte innocentia sua tutus evaserit, cum ipse in quadam epistola ad Bouchardum data testatur, quod nec Lutheri,

ri, nec Zwinglii, nec Anabaptistarum veneno infectus Orthodoxam ac Catholicam fidem sincero animo profiteatur. Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

Biennio post, scilicet anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo septimo supremum rei tributariæ tribunal sententiam pronuntiabat, vi cuius Clemens rursus custodiæ dari jubebatur: non equidem tum eidem lis ob hæresin intentabatur, sed præcipue in crimen vocabatur, eo quod cuidam captivo jamjam a satellitibus custodito fugæ opportunitatem procuraverit. Marotus ex suo carcere ad Franciscum I., qui tunc ex Hispaniis redierat, literas dabat, ejusque preces auribus adeo benevolis excipiebantur, ut ipsemet Rex Clementi Maroto libertatem reddere, datis literis præfatum tribunal juberet. Franciscus Rex hanc epistolam, qua Clementem liberum dimitti præcepit, Parisiis die prima Novembris anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo dabat: cum autem Clemens Blesis commorans paulo post intelligeret, quod Judices in eum tanquam de fide suspectum inquirerent, ejusque libros abripi juberent, ad Alençonii Ducissam, quæ nuptiis cum Joanne Albreto initis Navarræ Regina salutabatur, profugit, cum vero nequidem apud eandem satis se tutum cerneret, in Italiam

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

profectus est, & aliquamdiu substitit in aula Renatæ de Francia, quæ Ferrariæ Ducissa eo tempore novæ reformationis plurimum favēbat: Porro Clemens anno Servatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo sexto a Francisco Galliciarum Rege Parisios redeundi facultatem obtinuit: ast suspiciones de hæretica ejusdem doctrina conceptæ tam vehementer invalescebant, ut rursus evolutis aliquot annis Genevam fugere compelleretur, inde vero in Pedemonium denuo se contulit, ibidem vitæ suæ finem præstolaturus.

Eo autem tempore, quo Parisiis ultima vice agebat, venam poeticam ad Davidis psalterium in Gallicam linguam vertendum impendere cœpit.

§. LIX.

Quidam Davidis Psalmi a Maroto in Gallicos rhythmos redacti.

Beza in icon.
Et hist. Eccl.
lib. I.

Cum Marotus Hebraici idiomatis ignarus, ac insuper Latini sermonis peritia non nisi leviter tinctus esset, hinc rumor volabat, quod Gallicas Psalmorum versiones ab ejus amicis concinnatas fidei nimium calamo transcripserit. Referunt nonnulli, quod Melinus de S. Gelasio, alii vero, quod Franciscus Vatablus Maroto præluserit, atque id quo-